

DIE XII. MARTII.

S. GREGORII MAGNI PAPÆ, CONF. ET ECCL. DOCT.  
TOTUM DUPLEX. Oratio.

**D**EUS, qui nos beāti Gregórii, Confessóris tui atque Pontíficis, ánnua solemnitate lætíficas : concéde propítius ut, cujus ópere atque doctrína Scriptúræ tuæ mystéria multa cognóvimus ⁊ ejus apud te semper patrocínia sentiámus : Per.

DIE XVII. MARTII.

S. PATRICII EPISCOPI ET CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

**D**EUS, qui, ad prædicándam géntibus glóriam tuam, beátum Patrícium Confessórem atque Pontíficem mittere dignátus es : ejus méritis et intercessióne, concéde ut quæ nobis agénda præcipis ⁊ te miseránte adimplére possímus : Per.

DIE XVIII. MARTII.

B. SIBYLLINÆ VIRGINIS ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

**D**EUS, qui beátæ Sibyllínæ Vírginis, corporálibus lumínibus orbátæ, mentem admirábili claritátis fulgóre illustráre voluísti : ejus intercessióne nobis concéde ut supérna luce illumináti terréna despiciámus ⁊ et ætéRNA effícaciter exquirámus : Per.

